

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo LXXII

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

ipse faciat & maiora horum faciat. quia ego ad patrem uado. & quaecumque
 pater in nomine meo haec faciam. ut glorificetur pater in filio. si quid pe-
 uertat me in nomine meo hoc faciam. Ergo & illa maiora opera se ipsum factu-
 rum esse promisit. Non se extollat seruus supra dñm & discipulus supra
 magistrum; maiora quam ipse facti dicit esse facturos. Sed in eis uel per eos
 se faciente. non ipsis tamquam ex se & ipsis; ei quippe cantatur; Diligam te
 dñe uirtus mea; Sed quae sunt tandem ista maiora. an forte quod aegros
 ipsis transeuntibus & iam eorum umbra sanabat. maius est enim. ut sanet um-
 bra quam fimbria; illud per se. hoc per ipsos. sed utrumque. ipse; uerum tam-
 quando ista dicebat. uerborum suorum opera commendabat; Sic enim dixit
 uerba quae ego loquor uobis. a me ipso non loquor. pater autem in me manens
 facit opera ipse; quae opera tunc dicebat. nisi uerba quae loquebatur. audie-
 bant & credebant illis & eorundem uerborum fructus erat fides illorum; uerū
 tamen euangelizantibus discipulis non tam pauci quam illi erant. sed gentes & u-
 crediderunt; haec sunt sine dubitatione maiora; nec tamen ut. maiora horū
 faciat. solos apostolos ea putaremus esse facturos. sed qui credit in me inquit.
 opera quae ego facio & ipse faciat & maiora horum faciat; itane quicumque. cre-
 dit in xpm. facit quae xpi. uel maiora quam xpi. non praedere uerter ista trac-
 tandasunt. nec debent festinatione praecipitari. sed ea cogit concludendus
 iam sermo iste differri.

INCIPIT SERMO LXXII. DE EADEM LECTIOE.

Quid sibi uelit & quomodo accipiendum sit quod dñs ait. Qui credit
 in me opera quae ego facio & ipse faciat. Non est facile comprehen-
 dere; & cum hoc ad intelligendum difficillimum sit. adiecit aliud
 difficilius. & maiora horum faciat. Quid est hoc. qui faciat opera quae
 xpi fecit non inueniebamus. qui & iam maiora faciat inuenturi sumus.
 Sed dixeramus sermone pristino. quia maius fuit umbrae suae transitu
 quod discipuli fecerunt. quam fimbriae suae tactu quod ipse dñs fecit. san-
 te languentes. & quia plures apostolis quam ipso per os proprium praedi-
 cante dño crediderunt. Ut haec uiderentur opera intelligendi esse maiora.
 non quo maior esse. magistro discipulus uel dño seruus. uel adoptatus uni-
 genito. uel homo dō. Sed quod per illos ipse dignaretur eadem maiora fa-
 cere. qui dicit illis alio loco. sine me nihil potestis facere; ipse quippe ut
 alia omittam quae sunt innumerabilia. sine ipsis fecit ipsos. sine ipsis fecit
 hunc mundum. & quia homo & iam ipse fieri dignatus est. sine ipsis fecit &
 se ipsum; quid autem illi sine ipso. nisi peccatum. Deniq. & hic quod de hac
 re poterat nos mouere. mox abstulit; cum enim dixisset. qui credit in me.

opera quae ego facio & ipse faciat & maiora horum faciat. continuo sequutus
adiunxit; quia ego ad patrem uado & quaecumq. pater in nomine meo
hoc faciam; qui dixerat faciat. post ait faciam. tamquam diceret; non uobis
hoc impossibile uideatur; non enim poterit esse maior me qui credit in me.
sed ego sum facturus & tunc maiora quam nunc. per eum qui credit
in me. quam praeter eum per me; Ego tamen ipse praeter eum. ego ipse per
eum; sed quando praeter eum. non faciat ipse. quando autem per eum.
quam uis non per se & ipsum faciat & ipse. Porro autem maiora per eum fa-
cere quam praeter eum non est defectio sed dignatio; Quid enim retribu-
ant serui dno pro omnibus quae retribuit eis. quando quidem inter cae-
ra bona & iam hoc eis donare dignatus est ut maiora faceret per illos quam
praeter illos. Nonne ab ore ipsius diues ille tristis abscessit. quando uita
& aeternae consilium quaesuit. audiuit abiect. & tamen postea quod ab illo
audita non fecit unus. fecerunt multi. Cum loqueretur per discipulos ma-
gister bonus. contentibilis ei quem diuitem per seipsum monuit. amabilis
eis quos ex diuitibus pauperes per pauperes fecit; Ecce maiora fecit prae-
dicatus ac credentibus. quam loquutus audientibus; uerum hoc adhuc mouet
quod haec maiora per apostolos fecit; non autem ipsos tantum significans
ait. Opera quae ego facio & uos faciat. & maiora horum faciat. sed omnes
ad suam familiam pertinentes intellegi uolens; Qui credit in me inquit
opera quae ego facio & ipse faciat & maiora horum faciat; Si ergo qui credit
faciat. non credit utiq. qui non faciat. sicut est. qui diligit me mandata
mea custodit. unde profecto qui non custodit non diligit. Item alio loco;
Qui audit inquit uerba mea haec & facit ex. similis uero eum uiro prudenti
qui aedificat domum suam super petram; qui ergo non est similis huic
uiro prudenti. proculdubio aut uerba haec audit & non facit. aut omnino
nec audit; Qui credit in me inquit. licet moriatur uiuet; qui ergo non uiuet.
non utiq. credit; tale & iam hoc est. qui credit in me faciat. non utiq. cre-
dit qui non faciat; quid est hoc frater. numquid inter credentes in xpm
non est computandus. qui non fecerit opera maiora quam xpi. Durum
est. absurdum est. ferri non potest. non toleratur nisi intellegatur; Apo-
stolum igitur audiamus; Credenti inquit in eum qui iustificat impium.
deputatur fides eius ad iustitiam; in hoc opere faciamus opera xpi. quia
& ipsum credere in xpo. opus est xpi. hoc operatur in nobis. non utiq. sine
nobis; Audi ergo iam & intellege; qui credit in me opera quae ego facio
& ipse faciat; prius ego facio. deinde ipse faciat. quia facio ut faciat; quae
opera nisi ut ex impio iustus fiat. & maiora horum faciat; quorum

obsecro numquid nam omnium operum xpi maiora facit. quicum timore & tremore suam ipsius salutem operatur. quod utiq. in illo. sed non sine illo xpi operatur. prorsus maius hoc esse dixerim quae est caelum & terra & quaecumq. cernuntur in caelo & in terra; & caelum enim & terra transibit. praedestinatorum autem. id est eorum quos praescit. salus & iustificatio permanebit; In illis tantum operadi. in his autem est & iam imago di. sed & in caelis sedes. dominationes. principatus. potestates. archangeli angeli. opera sunt xpi; numquid & iam his operibus maiora facit qui operante in se xpo. cooperatur aeternam salutem. ac iustificationem suam. Non hic audeo praecipitare sententiam; intellegat qui potest iudicet qui potest. utrum maius sit iustos creare. quam impios iustificare; certe enim si aequalis est utrumq. potentiae. hoc maioris est misericordiae; hoc est enim magnum pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne. iustificatum est in spu. apparuit angelis. predicatum est in gentibus. creditum est in mundo. adsumptum est in gloria; sed omnia opera xpi intellegere ubi ait. maiora horum faciet. nullanos necessitas cogit; horum enim forsitan dixit quae illa hora faciebat; Tunc autem uerba fidei faciebat. & de his operibus fuerat prae loquutus dicens. Uerba quae ego loquor uobis. a me ipso non loquor. pater autem in me manens facit opera ipse; Tunc igitur uerba eius erant opera eius. & utiq. minus est uerbi iustitiae praedicare quod fecit pater nos. quam impios iustificare. quod ita facit in nobis. ut faciamus & nos; Restat inquirere quomodo accipiendum sit. quodcumq. paueritis in nomine meo hoc faciam; propter multa enim quae pauerunt fideles eius nec accipiunt. non parua hinc exortur quaestio; sed quoniam sermo iam iste claudendus est. ei considerande atq. tractandae tribuatur saltim parua dilatio.

INCIPIT SERMO LXXIII. DE EO QUOD DICIT. QUIA EGO AD PATREM UADO. QUODCUMQ. PETIERITIS IN NOMINE MEO. HOC FACIAM UOBIS.

Magnam spem dñs suis promisit sperantibus dicens. quia ego ad patrem uado. & quodcumq. paueritis in nomine meo. hoc faciam; Sic ergo perrexit ad patrem. ut non relinqueret indigentes. sed exaudiret paueres; sed quid est. quodcumq. paueritis. cum uideamus plerumq. fideles eius pauerere & non accipere. an forte propterea. quia male pauerunt. nam hoc exprobrauit apostolus iacobus dicens; paueritis & non accipitis. eo quod male paueritis. ut in concupiscentiis uestris insumatis; male ergo usus eo quod uult accipere. idō potius miserante non accipit; proinde si hoc ab illo paueritur. unde homo ledatur. exauditus. magis metuendum est. ne